

quez, *Quæst. regular.* tom. III, q. 70, art. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 783; Bartolus ibi citat. et alii contra Molinam, et alios a Sanchez citatos: et ratio est quia in tali casu cessat motivum, et ratio prohibitionis, cum hoc munus sine ullo litigio et contradictione, vel administratione pecuniæ omnino exsequi valeat Frater Minor, ut de se patet: cessante autem ratione et causa legis vel obligationis, cessat lex seu obligatio ipsa. L. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jure patronat.* Cum ratio legis sit anima legis. L. *Cum ratio* 7, De bonis damnatorum, adeoque, etc.

Hinc concluditur quod testatorum voluntates Fratres Capuccini, et alii minoritæ exsequi possunt, nominando vel eligendo ad subsidia dotalia et ad beneficia, ac juvenes ad seminaria. Sic sacra congregatio Concilii in *Papian.* Subsidii dotalis die 18 Augusti 1731, ex *Bullario Capuccinorum* tom. I, pag. 187, ubi refertur integra hæc causa cum sua resolutione et egregiis notis. *Vide* decreta ad rem in appendice h. tomi.

(60. Regulares exsecutores testamentarii seu ultimarum voluntatum tenentur reddere rationem administrationis seu executionis episcopo; et si in hoc deliquerint, possunt ab ipso puniri. *Communis*, textu expresso in Clementin. *Religiosis*, De testamentis, ibi: «Religiosis etiam exemptis deputatis ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis circa ipsius executionis officium (quod utique non possunt, nisi a superiore suo petita super hoc licentia et obtenta, suscipere) volentes præscindere materiam delinquendi, Pontificiæ constitutionis auctoritate statuimus, quod tales (etiamsi prælationis fungantur officio) locorum ordinariis debitam reddere, ipsique ordinarii absque dolo, fraude seu negligentia de susceptæ executionis officio teneantur exigere rationem; illos quos circa id deliquisse reppererint, in aliorum exemplum pœna debita (quocunque non obstante privilegio) puniuntur.»

(61. Imo regularis exsecutor ultimæ voluntatis defuncti, quamvis ei secreto communicatæ, tenetur adhuc episcopo requirenti aperire summam, et circa quæ sit distribuenda, ac rationem administrationis reddere, et tunc est eidem fides adhibenda, si juratus deponat, et concurrant probabiliter conjecturæ de verisimili voluntate testatoris. Sic expresse Fagnan., in c. *Tua nobis* 17, De testam., num. 61, testans hunc casum suo tempore contigisse Mediolani, et in hanc sententiam a sac. congregat. Conc. scriptas fuisse litteras ad card. Borromæum archiep.

(62. Exsecutor designatus seu deputatus a testatore non potest ordinarie compelli ad acceptandum et exsequendum tale munus, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam. Postquam tamen acceptavit expresse vel tacite, omnino etiam invitatus cogi potest, ut defuncti voluntatem exsequatur. Abbas, in cap. *Joannes* 19, n. 3, De testamentis; Covarruv, *ib.*, n. 3; Moli-

na, disp. 248, n. 3; Pirrhing, *loco citato*, n. 113; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 748, et alii communiter, arg. cit. c. *Joannes* 19, De testam., ibi: «Post susceptum mandatum cogi debent.» Et ratio est, quia universaliter loquendo, ut expresse habetur § *Mandatum* 11, inst. *De mandato*: «Mandatum non suscipere cuilibet liberum est; susceptum autem consummandum est.»

(63. Dicitur autem notanter ordinarie, quia aliquando ob rationabilem causam potest episcopus clericum in testamento exsecutorem designatam compellere, ut tale munus suscipiat, præsertim ad exsequenda pia legata, si non ut exsecutorem testamentarium, saltem ut delegatum, seu commissarium suum, arg. cap. *Pastoralis* 28, De offic. delegat. Et ratio est quia universaliter potest episcopus, quando ipsi aliqua executio competat, munus suum alteri delegare, et delegatum, ut obediat, si sit suus subditus, compellere. Sic Abbas, *loco citato*; Silvester, verb. *Testamentum* 2, q. 3, dict. 1, et alii supra citati, arg. l. *In causarum delegationibus*, cod. *Qui pro sua jurisdictione*. Et ita judex laicus ob rationabilem causam poterit interdum laicum suum subditum cogere ad munus exsecutoris suscipiendum et exsequendum. Sic citati doctores arg. cit. l. *In causarum delegationibus*.

(64. Exsecutores tenentur, quamprimum possunt, exsequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum. *Comm.*, arg. c. *Si hæredes* 6, De testamentis, et l. *Cum res* 47, ff. De legat. 1, ubi expresse præcipitur, ut legata sine mora præstentur. *Vide* verb. *LEGATUM*, n. 41 et 42.

(65. Tam judex ecclesiasticus quam laicus potest compellere exsecutores laicos ad exsequendam voluntatem defuncti, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam, ita ut hæc causa sit misti fori, et detur locus præventioni. *Communis*. Et quidem quod id possit episcopus seu judex ecclesiasticus, si dispositio sit ad causam piam, etiamsi testator sit laicus, habetur decisum in c. *Tua nobis* 17, De testamentis, Et concordat c. *Nos quidem* 3, et cap. *Si hæredes* 6, eodem. Et quod id possit etiam judex laicus, quamvis dispositio sit ad causam piam, patet ex novella 131, cap. 10, ibi: «Si quis ædificationem venerabilis oratorii, aut xenodochii, aut ptochii, aut orphanotrophii, aut nosocomii, aut alterius venerandæ domus in novissima voluntate fieri disposuerit... compleri jubemus providentia locorum episcopi et civilis judicis.» Quod autem id possit judex laicus in casu, quo dispositio sit ad causam profanam, et testator et exsecutor sit laicus, est extra controversiam indubitatum apud omnes. Quod vero in tali casu id possit etiam episcopus, quamvis testator et exsecutor ipsius dispositionis ad causam profanam sit laicus, tenet (teste Covarruv. *loco citato*, n. 3, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 789). *Communis* doctorum, arg. cit. cap. *Si hæredes* 6, De testamentis, ubi sine ulla dis-

tributione, an dispositio testatoris sit ad causam piam vel profanam, et hæres, seu exsecutor sit laicus vel ecclesiasticus, tribuitur episcopo facultas compellendi hæredes seu exsecutores ad exsequendam defuncti voluntatem, ibi: «Si hæredes jussa testatoris non adimpleverint, ab episcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta est, canonice interdicitur cum fructibus et cæteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur.»

(66. Judex autem laicus nullimode compellere ad id potest exsecutorem clericum, cum judici laico nulla competat jurisdictio in personas ecclesiasticas. *Communis*, per text. in c. *Bene quidem* 1, dist. 96, c. *Ecclesia S. Mariæ* 10, De constitutionib., c. *Cum laicis* 12, De rebus eccles. alienand. vel non, c. *Decernimus* 2, De judiciis, cum similibus.

(67. Judex, præsertim ecclesiasticus, statim post aditam ab hærede hæreditatem, compellere potest exsecutores, ut voluntatem defuncti executioni mandent, quamvis testator id expresse ei inhibuerit. *Communis*. Et quidem quoad primam partem patet ex juribus adductis *sup.* n. 63, juncta l. *Si domus* 71, § 2, ff. *De legatis* 1, ubi cum exsecutores jubeantur voluntatem defuncti statim adimplere, sequitur clare, quod possint statim ad id compelli. Quoad secundam autem partem, nempe quod exsecutores possint ad id compelli, quamvis testator id expresse inhibuerit, patet ex juribus et decretis adductis *sup.* n. 48. Et ratio est quia privata persona non potest generalem constitutionem publici juris ecclesiastici vel civilis immutare aut impedire, l. *Nemo* 55, ff. *De legatis* 1, ibi: «Nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant;» et c. *Requisivisti* 15, De testamentis, ibi: «Quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare.»

(68. Si plures sint a testatore deputati exsecutores, et unus eorum sit mortuus, vel in remotis existat, seu exsequi forte nolit; potest alius, etiam unicuique ex deputatis, nisi testator aliud disposuerit, officium executionis libere adimplere. *Communis*, textu expresso in c. *Religiosus exsecutor* 2, De testamentis, in 6, § *Sane*, ibi: «Sane pluribus a testatore simpliciter exsecutoribus deputatis, uno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exsequi forte nolente, ne voluntatem testatoris impediri, vel nimium differri contingat, poterit alius, nisi testator aliud expresserit, officium executionis injunctum libere adimplere.»

(69. Nulli exsecutores, præter Summum Pontificem, ne episcopi quidem, relicta ad certas pias causas in alios usus vel causas, quamvis evidenter meliores essent, possunt ordinarie commutare, si voluntas determinata testatoris commode ac juste adimpleri possit. *Communis*, per text. in c. *Nos quidem* 3, De testamentis, c. *Ultima voluntas* 4, caus. 12, q. 2; Clementin. *Quia contingit* 2, De religiosis domibus, cum similibus.

(70. An autem, quando, et ob quas causas

possit mutari ultima voluntas testatoris præsertim quoad legata, aliasque pias causas a Papa et ab aliis, *vide* verb. *LEGATUM* a n. 143 ad 165.

(71. Exsecutores et hæredes intra quod tempus teneantur adimplere voluntatem testatoris, et quas pœnas incurrant, si negligentes fuerint? *Vide* d. verb. *LEGATUM* a n. 41 ad 46, et verb. *HÆRES* a n. 44 ad 52.

(72. Exsecutores et hæredes quibus et quo ordine distribuere possint et debeant legata pia a testatore relicta, *vide* d. verb. *LEGATUM*, a n. 47 ad 95, et a n. 125 ad 132.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(73. De exsecutoribus testamentariis, de quibus et hic disserit auctor, gravis est quæstio illa, utrum ipsi, ubi sunt plures, conveniri in solidum queant de gestis administratione, tametsi non omnes administraverint.

(74. Hanc autem quæstionem sibi proposuit Rota in *Posnaniæ*. Legatorum 6 Decembris 1748, cor. bon. mem. vicecomit., et ita § 7 et seq. resolvit: «Constitit ex hisce de acceptance executionis et administratione hæreditatis per Guilielmum exercita, inutiliter opponeretur quod eidem saltem suffragari debeat beneficium ordinis et excussionis, ut nempe cæteri quoque administratores, qui administrant, conveniri debeant, quodque ipse pro illis duntaxat rebus hæreditariis, quæ ad ejus manus pervenisse constet, remanserit obligatus. Objectum namque plenissime confutat ex eo quod, cum agatur de exsecutore et administratore voluntario, cum eo rigidius procedi solet, quia cum potuisset injunctum munus respicere, sibi debet imputare, si administrationem, prout debebat, non exercuit, ideoque nec beneficio ordinis et excussionis juvari debet, sed etiamsi non administraverit, in solidum conveniri potest, etc., vel saltem exuberat, ut quid modicum vel minimum de eadem administratione participaverit. Præcipue quia nulla habetur divisio hujusce administrationis, vel a judice, vel a testatore facta; adeoque quemadmodum apud omnes individua fuit administratio hæreditatis, ita quoque individua et solidalis resultat eorum obligatio erga legatarios. Nec unusquisque amplius excipere valet se rationem redditurum de bonis ad ejus manus perventis; quippe id procederet, ubi ageretur de administratione particulari, et adesset divisio administrationis, vel a judice, vel a testatore facta: secus autem ubi administratio fuit omnibus generalis, et solidaliter attributa et ab omnibus unitim acceptata.»

ARTICULUS IV.

Quoad ea quæ concernunt codicillum seu clausulam codicillarem.

SUMMARIUM.

1. Codicillus sic dictus quasi parvus codex. — 2. Codicillus quid sit? — 3. Codicillus debet esse sine hæredis institutione. — 4. Potest tamen esse cum hæredis institutione indirecta. — 5. Ad codicillum requiruntur solum quinque testes. — 6. Ad codi-

cillum sufficiunt testes, sive feminae sive masculi, sive rogati sive non. — 7. In codicillis parentum inter liberos et ad pias causas sufficiunt duo testes. — 8. Codicillum facere potest omnis et solus qui testari valet. — 9. Codicillus fieri potest, tam in scriptis quam sine scriptis, seu oretenus. — 10. Codicillus fieri potest absque testamento. — 11. Item codicillus fieri potest cum testamento, et post illud iam factum. — 12. Item codicillus fieri potest ante testamentum. — 13. Ad hoc tamen, ut valeat codicillus factus ante testamentum, requiritur, quod testator in testamento subsequenti illum confirmet. — 14. Quamvis non possit quis duo testamenta facere, ita ut ambo valeant. — 15. Potest tamen quis duos vel plures validos codicillos facere. — 16. Nec revocatur prior per posteriorem. — 17. Dispositio dicentis se velle testamentum facere, si ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, neque valet ut codicillus, quamvis omnes solemnitates ad codicillum requisitae concurrant, nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem. — 18. Et idem est sentiendum, quamvis expresse quidem non dicat, quod testari velit, sed tamen haeredem instituat, vel exheredationem faciat. — 19. Si testamentum habeat clausulam codicillarem, quamvis ex defectu solemnitatis non valeat ut testamentum, valet tamen ut codicillus. — 20. Clausula codicillaris quae sit. — 21. Duplex est clausula codicillaris, expressa scilicet, et tacita, et quae utraque sit. — 22. Assignatur primus effectus clausulae codicillaris. — 23. Assignatur secundus effectus ejusdem ad n. 24. — 25. Assignatur tertius ejusdem effectus. — 26. Testamentum minus solemne non potest vi dictae clausulae codicillaris valere ut codicillus, nisi habeat saltem solemnitates ad codicillum requisitas. — 27. Excipit tamen, nisi dispositio esset ad pias causas seu inter liberos. — 28. Assignatur ad quid sint introducti, et ad quid inserviant codicilli. — 29. Primus qui codicillos introduxit, fuit Lucius Lentulus. — 30. Alia ad rem ad num. 35.

(1. Codicillus sic dicitur, quasi parvus codex seu parva scriptura. Sic Laym., lib. III *De justitia*, tract. 5, c. 8, n. 1; Pirrhing, lib. III. *Decretal.*, tit. 26, n. 7, et alii passim.

(2. Unde « codicillus est ultimae voluntatis testificatio sine haeredis directa institutione et solemnitate testamentaria. » Est in re Communis, et desumitur ex tot. tit. instit. et cod. *De codicill.*, et ex tit. ff. *De jure codicill.*

* Si queras quae sit codicillorum origo, quis primus codicillos disposuerit, quis jusserit ut executioni demandarentur, consule instit. tit. *De codicillis*; et aureum eruditumque tractatum Duni *De codicillis*. Quatuor codicillorum species designat Paulus, in l. 8, ff. *De jur. codicill.*: « Aut enim in futurum confirmantur, aut in praeteritum, aut per fideicommissum testamento facto aut sine testamento. » Sed cum haec quatuor species apte possint ad duos tantum referri, ideo bipartitam codicillorum divisionem duntaxat faciemus, ut nempe alii sint codicilli ejus, qui testamentum fecit, alii vero illius qui intestatus decessit. Codicilli hoc modo facti valde differunt inter se; et quidem primo, codicilli ejus, qui intestatus decessit, nulla indigent confirmatione, contra vero si ante testamentum facti sint, sine confirmatione subsequente non valent, ut monet Papinianus in l. 5, ff. *De jur. codicill.* Verum cum haec sententia aliquantis perdurior probis viris videretur, hinc nonnulli voluntatem defunctorum hoc modo exposi-

tam adimplebant. Ad hanc rem confert locus Plinii, epist. 16. lib. II: « Tu pro tua diligentia admones me, codicillos Aciliani, qui me haeredem instituit, pro non scriptis habendos, quia non sunt confirmati testamento. Quod jus ne mihi quidem ignotum est, cum sit iis etiam notum, qui nihil aliud sciunt. Sed ego propriam quamdam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamsi jure deficerentur, quasi perfectas tuerer. » Deinde vero Severus et Antoninus imperatores jusserunt, ut hujusmodi codicilli pro lege haberentur, si modo expresse revocati non sint, ut contra auctorem nostrum *infra* n. 13 notabimus. Generaliter vero confirmati intelliguntur per hanc clausulam, quae interdum testamentis apponi solet, scilicet: « Si quid tabulis aliove quo genere ad hoc testamentum pertinens reliquero, ita valere volo; » sive hoc alio modo; « Si quid ad hoc testamentum pertinens reliquero, valere volo, » l. 18, ff. *De jur. codicill.* Nihil enim refert utrum confirmatio praecedat, an sequatur codicillos l. 6, cod. *De codicill.* Notandum tamen quod si ita in testamento scripserit, volo ut codicilli exsequantur, quos novissimos fecero, tunc non omnes confirmati intelliguntur, sed tantum qui postremo facti sunt. L. 8 fin., ff. *De jur. codicill.*

Differunt secundo, ut codicilli ejus qui intestatus decessit, per se efficaces sint, contra vero *testamento facto*, etiamsi codicilli in eo confirmati non essent, vires tamen ex eo capient. Hinc « si ex testamento haereditas adita non fuisset, fidei commissum ex hujusmodi codicillis nullius momenti erit. » L. 5, § fin., ff. *De jur. codicill.* Sequitur secundo quod per nativitatem posthumi codicilli ab intestato defuncti non rumpantur. L. 3 in princ., et § 1, l. 16, ff. eod. Quod si codicillis ab intestato factis non quisquis haeres erit, gravatus est, sed filius qui jam natus erat, gravatus fuit, codicilli quidem, nato posthumo, non rumpuntur, sed is solus, qui jam natus erat, et ad quem codicilli scripti sunt, gravatus intelligitur pro sua portione, et posthumus partem suam liberam consequitur. L. 11, l. 13, ff. eod., quibus adde etiam l. 19, ff. eod. Diximus codicillos illius qui testamentum fecit, a testamento vires accipere, adeo ut si testamentum revocatum sit, codicilli quoque censeantur revocati; nihilominus si post ruptum testamentum codicillos defunctus confirmavit, valebunt quasi ex nova voluntate. L. 1, cod. *De jur. codicilli.*

Tertio differunt quod codicilli ab intestato facti aestimantur eo tempore, quo facti sunt, contra vero codicilli illius qui testamentum fecit, aestimantur eo tempore, quo testamentum factum est. L. 2, § 2, ff. *De codicill.* Sic recte codicillis relictum intelligitur ei, qui tempore testamenti in ea causa erat, ut ipsi relinqui posset, quamvis tempore codicillorum jam desiisset in ea causa esse; multo magis hoc obtinebit si desiit quidem causa, quae testamenti tempore existebat, verum nova causa emergerit, ex qua possit sustineri, quod ipsi relictum est. L. 91,

§ 5, ff. *De legat. 1.* Cum tempus codicillorum, non testamenti inspicitur, hinc si testator tempore testamenti jus testandi habuerit, non quaeritur an illud habuerit, dum codicillos fecit. L. 8, § 3, ff. *De jur. codicill.* Hoc tamen intelligendum si testamenti factionem ante mortem recuperaverit. Nam si quis ante captivitate codicillos confirmaverit et in captivitate decesserit, non valent codicilli, quia desiit habere jus testandi, seens si civitatem recuperaverit. L. 7, ff. *De jur. codicill.*, l. 12, § 5; ff. *De captiv. et postlim. revers.* Quod hactenus diximus, tempus testamenti non codicillorum inspicit, ita demum obtinet circa ea quae juris sunt, non quae a facto dependent. Nam si quis alicui leget vestem quae mea est, inspicit debet tempus conditi codicilli. Harum rerum, quae a facto dependent, plura habes exempla in d. l. 7, § 1, l. 2 in princ. et § 1, l. 6, § fin., l. 14, § 1, l. 15, ff. *De jur. codicill.*, l. 7, ff. *Qui et a quibus manum*, l. 1, cod. *De test. manum*.*

(3. Codicillus potissimum differt a testamento per illa verba: *Sine haeredis directa institutione*; testamentum enim non subsistit sine haeredis directa institutione, ut *supra* probavi, art. 1, n. 3, per expressa jura ibi adducta. Et econtra codicillus debet esse sine haeredis directa institutione, quia in codicillo neque haereditas directe dari, neque auferri alicui potest, textu expresso in § *Codicillis autem* 2, institut. *De codicillis*; l. *Haereditatem* 7, et leg. *Si idem* 7, cod. *De codicillis*, et l. *Quod per manus* 10, ff. *De jure codicillorum*. Et hoc: « Ne confundatur jus testamentorum et codicillorum, » ut expresse dicitur in cit. § *Codicillis*.

(4. Dicitur autem notanter: *Sine directa haeredis institutione*, quia licet in codicillo nequeat haeres institui directe, potest tamen institui indirecte, quatenus nempe in codicillo potest relinqui fideicommissum, et sic haeres institui indirecte, et prout contingit, si quis sine testamento decedens faciat codicillum, et in re roget haeredem ab intestato, ut haereditatem, vel totam, vel partem restituat alteri: in hoc enim casu haeres parere tenetur, quamvis Trebellianicam deducere possit. *Communis*, textu expresso in cit. § *Codicillis* 2, institut. *De codicillis*, ibi: « Nam per fideicommissum haereditas codicilli jure relinquitur. » Et concordat l. *Haereditatem* 2, cod. *De codicillis*.

(5. Item codicillus speciatim differt a testamento per illa verba: *Et sine solemnitate testamentaria*, quia, ubi ad testamentum non privilegiatum requiruntur septem testes, ut patet ex dictis et adductis juribus *supra* art. 1, n. 14 et 32, ad codicillum requiruntur solum quinque testes. (6. Et ubi ad dictum testamentum requiritur quod testes sint masculi et rogati, ut patet ex dictis et adductis juribus, *ib.*, n. 13, 27 et 28, ad codicillum sufficiunt testes, sive masculi, sive feminae, sive rogati, sive non. Sic *communis* doctorum, per text. in l. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*, ibi: « In omni autem ultima voluntate, excepto testamento, quin-

que testes, vel rogati, vel qui fortuito venerint, in uno eodemque tempore debent adhiberi, sive in scripturis, sive sine scriptis voluntas conficiatur, testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accommodantibus. » Et licet in allato textu, quod possint in codicillo testes esse etiam feminae, non habeatur explicite, habetur tamen implicite, quia in requisito numero testium non requiruntur soli masculi, nec feminae excluduntur: sicut in numero testium requisitorum ad testamentum, ut patet ex dictis et adductis juribus *supra* art. 1, n. 15. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, De privileg., et leg. *De pretio* 7, ff. *De Publiciana in rem actione*. Et si id voluisset etiam pro codicillo, expressisset, uti expressit pro testamento. Arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop. § *Sed neque istud*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis. Ita Glossa, in cit. l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis*; Tuscus, litt. C, conclus. 405, n. 1; Baldus, consil. 283 circa finem lib. III; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 26, n. 711, ubi testatur de communi. Vide verb. Testis, artic. 1, n. 47.

(7. In codicillis parentum inter liberos et ad pias causas sufficiunt duo testes. Ita Tuscus, litt. C, conclus. 405, n. 11; Molina, disput. 131, n. 8; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 712, et alii; et ratio est clara, quia cum duo testes sufficiant ex dictis et adductis juribus *supra* n. 6 et 29, ad testamentum inter liberos et ad pias causas; a fortiori sufficiunt ad codicillum, utpote ad sui formam minorem requirens solemnitatem, quam testamentum.

(8. Codicillum facere potest omnis et solus, qui testari valet. *Communis*, textu expresso in l. *Divi* 6, ff. *De jure codicillorum*, ibi: « Codicillos is demum facere potest, qui et testamentum facere potest.

(9. Codicillus fieri potest, tam in scriptis quam sine scriptis, seu oretenus. *Communis*, textu expresso in l. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*, ibi: « Sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur. »

(10. Codicillus fieri potest absque testamento. *Communis*, per text. in l. *Non idcirco* 4, cod. *De codicillis*, et § *Non tantum* 1, institut. *De codicillis*. (11. Item codicillus fieri potest cum testamento, et post illud iam factum *Communis*, per textum in citato § *Non tantum* 1, institut. *De codicillis*, et l. *Si quis* 3, ff. *De jure codicillorum*.

(12. Item codicillus fieri potest etiam ante testamentum factum. *Communis*, per textum in cit. § *Non tantum* 1, institut. *De codicill.* (13. Ad hoc tamen, ut valeat codicillus factus ante testamentum, requiritur quod testator in testamento subsequenti expresse illum confirmet. *Communis*, textu expresso in cit. § *Non tantum*, ibi: « Sed cum ante testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait, non aliter vires habere, quam si speciali postea voluntate confirmantur. »

* Si auctor persecutus fuisset lectionem textus a semetipso allegati, jam comperit habuisset, Papiniani opinionem in desuetudinem abiisse. Nam post verba ab auctore allata, illico subdit Justinianus: « Sed divi Severus et Antoninus rescripserunt, ex iis codicillis qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum peti, si appareat eum, qui testamentum fecit, a voluntate quam in codicillis expresserat, non recessisse. » Ex his constat hujusmodi codicillos intelligi confirmatos, modo non sint revocati.*

(14. Quamvis non possit quis duo testamenta facere, ita ut ambo valeant, cum per posterius rumpatur prius, textu expresso in § *Posteriore* 2, instituit. *Quibus modis testamenta infirmantur*, ibi: « Posteriore quoque testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur; » cum similibus; (15. potest tamen quis duos vel plures validos codicillos facere, textu expresso in § *Codicillos autem* 3, cod. *De codicillis*, ibi: « Codicillos autem etiam plures quis facere potest; » et l. *Divi*, § 1, ff. *De jure codicillorum*, ibi: « Codicillos et plures quis facere potest. » (16. Non revocatur prior per posteriorem, nisi quatenus sibi contrarii sunt. *Communis*, per textum expressum in l. *Cum proponatis* 3, cod. *De codicillis*. Et ratio disparitatis est, quia in codicillis res singulares tantum relinquuntur, et ideo possunt quædam res relinqui in uno codicillo, et quædam aliæ in altero, et sic uterque potest subsistere absque contrarietate. In testamentis autem relinquuntur necessario hæreditas, quæ est successio in universum jus defuncti; l. *Hæreditas* 52, ff. *De reg. juris*, ibi: « Hæreditas nihil aliud est quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit; » et ideo prius testamentum rumpitur per posterius, cum non possit utrumque subsistere cum tali contrarietate relictae integræ hæreditatis.

(17. Dispositio dicentis se velle testamentum facere, si ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, neque valebit ut codicillus, quamvis omnes solemnitates requisitæ ad codicillum concurrant, nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem. *Communis*, text. expresso in l. *Sæpissime* 1, ff. *De jure codicillorum*, ibi: « Sæpissime rescriptum et constitutum est, eum qui testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse; ideoque quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit valere, tamen non debetur. »

(18. Et idem est sentiendum, quamvis quis expresse quidem non dicat, quod testari velit, sed tantum hæredem instituat vel exhæredationem faciat, quia sic faciendo præsumitur, quod testari voluerit, per textum in leg. *Non codicillum* 14, cod. *De testamentis*, ibi: « Non codicillum, sed testamentum aviam vestram facere voluisse, institutio et exhæredatio facta probant evidenter. »

(19. Dicitur autem notanter in conclusione: « Nisi talis dispositio clausulam ha-

beat codicillarem; » quia si testamentum habeat talem clausulam codicillarem, quamvis ex defectu solemnitatis non valeat ut testamentum, valebit tamen ut codicillus. *Communis*, per textum in l. *Si quis* 8, § 1, cod. *De codicillis*, et l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*.

(20. Unde clausula codicillaris est, quam testator testamento apponit, et per eam expresse, vel tacite declarat, quod si sua ultima dispositio ex defectu alicujus solemnitatis non valeret ut testamentum, valeat tamen ut codicillus. Ita in re *Communis*.

(21. Duplex igitur est clausula codicillaris, expressa scilicet, et tacita. *Expressa* est, dum testator expresse dicit, v. g.: « Si hæc mea dispositio non valet vi testamenti, volo ut valeat vi codicilli; » *tacita* est, dum testator id non expresse, sed tacite vel virtualiter innuit, dicendo, v. g.: « Si hæc mea dispositio non valeat ut testamentum, volo ut valeat omni meliori modo quo potest. » Sic *Communis* doctorum, argum. l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis*, l. *Sæpissime* 1, ff. *De jure codicillorum*, et l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Si jure* 11, cod. *De testamentaria manumissione*.

(22. Effectus clausulæ codicillaris, sive expressæ sive tacitæ, sunt plures, et præcipui sunt sequentes. Primus est, quod in casu, quo testamentum ex defectu alicujus solemnitatis ad ipsum requisitæ est nullum vigore testamenti, valet nihilominus vigore codicilli, seu ut codicillus; unde quamvis hæredis institutio omnino irrita sit, tamen hæres ab intestato succedens tenetur solvere omnia legata ac fideicommissa particularia in tali nullo testamento recepta; et hoc propter adjectam illam clausulam codicillarem. *Communis*, per text. in cit. l. *Si quis* 8, § 1, c. *De codicillis*, cit. l. *Si jure* 11, c. *De testamentaria manumissione*, et cit. l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*.

(23. Secundus effectus est quod, si testator carens hæredibus necessariis in hujusmodi irrito et invalido testamento instituat hæredem extraneum, virtute dictæ clausulæ codicillaris institutio directa vertitur in fideicommissariam, et proximi hæredes ab intestato tenentur restituere hæredi extraneo in tali irrito testamento per modum fideicommissi instituto totam hæreditatem, sola pro se retenta Trebellianica. Jason., in authent. *Ex causa*, 22, cod. *De liber. præter.*; Tuscus, *loc. cit.*, conclus. 404 et seq.; Layman, l. III, tr. 5, c. 8, n. 4; Gailus, lib. II, observ. 114; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 720, et alii communiter, per text. in l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Sævola* 76, ff. *Ad senatusconsult. Trebellian.*, l. *Si frater* 5, cod. *De fideicommissis*; et l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis*.

(24. Item si testator, hærede necessario scienter præterito vel injuste exhæredato, in tali testamento nullo instituat hæredem extraneum, virtute dictæ clausulæ codicillaris tenetur hæres necessarius restituere dicto instituto hæredi extraneo totam hære-

ditatem, sola retenta pro se legitima et Trebellianica simul: ita Clarus, § *Testamentum*, q. 16; Tuscus, lib. VI, conclus. 292, n. 1; Gailus, *loc. cit.*, n. 3, dicens hanc conclusionem esse indubitabilem; Layman, *loc. cit.*, cum Molina, disp. 132; Reiffenstuel, l. c., n. 721, et ipso teste *Communis* aliorum, arg. citatis juribus.

(25. Tertius effectus est, quod hæres institutus in tali testamento possit pro libitu agere, vel ex testamento, vel in vim codicilli, id est possit, vel vi testamenti petere totam hæreditatem in ipso sibi relictam, vel timens testamentum non subsistere, agere in vim codicilli, et vi illius petere, ut hæreditas per modum fideicommissi sibi restituatur, cum hac tamen advertentia, quod si hæres institutus incepit agere ex testamento, non possit amplius variare et hæreditatem petere in vim codicilli, nisi esset ex agnatis usque ad quartum gradum, vel ex cognatis usque ad tertium gradum. *Communis*, textu expresso in l. *Si quis* 8, § 1 et 2, cod. *De codicillis*, ibi: « Illo electionis videlicet jure perdurante, ut, qui ex testamento agere voluerit, ad fideicommissum migrare non possit. Si quis vero ex parentibus utriusque sexus, ac liberis usque ad quartum gradum agnationis vinculis alligatus, vel cognationis nexu constrictus usque ad tertium scriptus hæres fuerit vel nuncupatus, in eo videlicet testamento, quod testator vicem quoque codicillorum voluit obtinere, licebit ei, si de hæreditate ex testamento secundum mortui voluntatem agens fuerit securus, vel certe ipse sponte voluerit, ad fideicommissum subsidium convolare. »

(26. Testamentum autem minus solemne non potest vi dictæ clausulæ codicillaris valere ut codicillus, nisi habeat saltem solemnitates ad codicillum requisitas, nempe quod interfuerint quinque testes et adhibiti fuerint uno eodemque tempore, et si in scriptis conficiatur codicillus, dicti testes suam subscriptionem interposuerint, ut patet ex l. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*, et ex dictis supra n. 6. (27. Excipere tamen, nisi dispositio esset ad pias causas seu inter liberos, quia tunc sufficerent duo testes, ut patet ex dictis supra n. 7.

(28. Ad complementum de codicillis advertendum est quod codicilli introducti fuerint et præcipue inserviunt ad fideicommissa et legata relinquenda. Item ad testamentum declarandum, immutandum, minuendum, augendum et addendum, vel demendum, et hujusmodi, salva semper tamen hæredis institutione, cum hæreditas per codicillum, nec dari, nec adiri possit, ut patet ex § *Codicillis autem* 2, instit. *De codicillis*, et l. *Hæreditatem* 2, cod. *De codicillis*. (29. Et primus, qui codicillos introduxit, fuit Lucius Lentulus, ut expresse habetur in princip. institut. *De codicillis*, ibi: « Ante Augusti tempora constat codicillorum jus in usu non fuisse, sed primus Lucius Lentulus (ex cujus persona etiam fideicommissa esse cæperunt) codicillos introduxit, » etc.

Alia ad rem præter supra notata artic. 1 vide verb. FIDEICOMMISSUM, verb. LEGATUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Solet clausula codicillaris apponi testamentis rusticorum, mulierum et aliorum, qui ejus vim haud intelligunt. Quæstionis propterea est, an ea in hisce testamentis expressa effectus suos pariat?

(31. Sunt qui negant, idque quia cum personæ hæ clausulam ejusque effectum ignorent, hinc non præsumunt rogasse hæredem ab intestato, ut iis vi clausulæ illius præstanda præstet. Vide quos pro hac sententia citat doctores Turrett. *De effect. et defect. clausul. codicill. q. 9, n. 3.*

(32. Affirmativa tamen prævaluit sententia. Mox dictæ enim personæ adhibendo notarium, censetur eum rogasse, ut ita condat testamentum, ut omni meliori modo subsistere possit. Jam ergo non commodius sustinetur, quam per clausulam codicillarem. Ergo ut hanc quoque addat, voluisse videntur. Qui enim vult finem, censetur etiam voluisse media ad finem conducentia. (33. Quapropter clausulam codicillarem semper voluntate testatoris adjectam præsumi, tradunt post alios Carpzov., lib. VI, respons. 7 per tot.; Castill., lib. IV *De conjectur. ultim. volunt.*, cap. 49, n. 27.

ARTICULUS V.

Quoad ea quæ concernunt revocationem seu mutationem, irritationem, ruptionem et destitutionem testamenti et codicilli.

SUMMARIUM.

1. Quilibet testator potest usque ad mortem semper, et pro libitu suum testamentum et codicillum penitus revocare aut mutare. — 2. Etiam si promiserit, seu pacto se obligaverit de non revocando aut mutando. — 3. Et etiam si fuerit a principe confirmatum. — 4. Dummodo tamen in posteriori testamento mentionem faciat, quod non obstante tali promissione et pacto velit revocatum testamentum prius. — 5. Quæ tamen mentio non est necessaria si testator secundum testamentum juramento confirmet. — 6. An revocari possit testamentum, quod testator juravit se non revocaturum, ad num. 7. — 8. Etiam testamentum reciprocum inter conjuges et alias personas potest a quovis conjugum, seu a quovis ex illis personis pro sua parte libere revocari etiam inscio vel invito altero. — 9. Et id valet, sive unus ex illis jam obierit, sive ambo adhuc vivant, sive alter revocationem sciat et consentiat, sive nesciat aut contradicat. — 10. Item id etiam valet quamvis in una et eadem charta fuerit scriptum tale reciprocum testamentum. — 11. Quando una pars clandestine suum revocat testamentum reciprocum, censetur etiam ab altera tacite revocatum et suum. — 12. Testamentum reciprocum potest fieri ore tenus et in scriptis, eodem vel diverso tempore, et quomodo. ad n. 15. — 14. Affertur specialis advertentia pro testamentis reciprocis conjugum. — 15. Testamentum revocari potest et verbis et factis. — 16. Revocatio testamenti facta nudis verbis, ut sit valida, duo copulative requirit, quæ assignantur. — 17. Testamentum censetur vere revocatum factis, nedum per validam alterius posterioris testamenti confectionem, sed etiam per ipsius cancellationem, deletionem, incisionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, exustionem, vel alio simili modo a testatore, vel